

ejus sublimitas enarrari: quid haberet supra homines, ut Angelicus, quid supra privatos, ut *Commanus* nuncupetur? Ne autem infirmitatis nostræ perturbemur angustijs, benignus & misericors est, ad eum confugiamus.

Impetra Doctor Sancte, sermonem compositum ori meo, ut si non dignè tuis meritis, utiliter tamen nostris animis, laudum tuarum præconia saltem adumbremus. Et vos, viri gravissimi, audkoresque catholici, adestote quâ par est in Sanctum & in talem Sanctum devotione & affectu.

Si cum genere ac generis splendore, majorum potentia & autoritate, terrenarum rerum copia & ubertate gloriarî crederem: hinc illustris Comitum Aquinatum familia: illinc Neapolitanæ B nobilitatis splendor, (quam & pietas fecerat splendidior) copiosam ditionis segetem ministrarent. Verum si ab his rebus eum commendare velim, perinde faciam, atque si ab umbra statuam vel ab unguibus Leonem celebravero, majoribus rebus, perfectioribusque relictis: nam, Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi, Vix ea nostra voco: probati autem viri genus, virtutis profapia est: quia sicut hominum genus, homines: ita animarum genus, virtutes sunt. Etenim familiarum hominum splendore generationis nobilitantur: animarum autem clarificatur gratia splendore virtutis, inquit *Ambrosius*.

*De Noë et Arca cap. 4.*

*Isaac Gen. 17 et 21. Joannes Luc. 1.*

*Nico-laus.*

*Ambr.*

*Dominic.*

*Thomas natus prius dicitur.*

*Charta manu tenet.*

Solet nonnumquam divina providentia sanctorum suorum natalem tum prophetijs, tum antecedentibus aut consequentibus signis sic illustrare, ut qui audierit et animumque advertit; haud difficile intelligat ejusmodi pueros, magnos futuros coram Domino, & Spiritu sancto replendos. Alius enim nascitur ex matre, quam spe pariendi penitentiæ destitutam sterilitas atque confecerat: alius privilegiorum Christi particeps, secundum præcedentes de se prophetias, vocatur eo nomine quod vocatum est ab Angelo priusquam in utero conciperetur: alius ut quanta ejus futura esset sanctitas, ab ipsis incunabilis appareret, adhuc infans quartam & sextam feriam jejuniis consecrat: In alterius infantis ore examen apud dicitur confedisse, ut divina viri eloquentia præmonstraretur: alterius mater gravida, sibi per quietem visa est alvo continere catulum facem ore præferentem, qua foret postea terrarum orbem incensurus. An istarum gratiarum exors Aquinas? Cùm mater Theodora generis & morum nobilitate insignis, utero eum gestaret; audivit quidquid postea rei probavit eventus. Nam ad eam eremita nomine Bonus, re autem ipsa bonitatis merito præclarus, & Prophético Spiritu donatus, patres (inquit) filium & vocabis nomen ejus Thomam: Hic erit magnus coram Domino: sancti Dominici regulam profitebitur, & sapientiæ suæ luce mundum illustrabit.

Vix natus, cum adhuc infansulus, & à lacte nondum esset amotus, chartulam humi reptam sic restricta manu retinuit, ut nec sine vi, nec sine lachrymis dimittere vellet, donec mater lachrymantis pueri manum vi aperiens extorfit: quæ cum in ea scriptum inveniret, Ave Maria gratia plena, puero à steribus non temperanti mox reddidit: Is quasi veritus tam sanctæ salutationis denuò eripiendæ jacturam amore deglutivit, quod alto cordi postmodum esset impressurus. Quid hic fuisse putemus, nisi præsagium quoddam futurorum? quid? nisi quod Deus jam tunc monstrare

voluit in puero; quod postea futurum erat in magistro? ut præsciretur quam salutarem doctrinam vir factus deberet effundere, quem chartulam nostræ salutis exordium continentem, non nisi divino Spiritu contigit invenire: sciretur etiam quo in Dei genetricem futurus erat doctor affectu, cujus salutationem habuit tenacissimo puer amplexu.

Ut primum è pueris excessit, in his artibus quibus ætas puerilis ad pietatem informari solet, celesiter omnibus antecellere eum contigit. Et quamvis Neapoli fama virtutum ejus maxima celebritate increbresceret, jamque per hominum ora volitaret, tamen non se credebatis, nec quid de se homines judicarent, sed quid Deus vellet, attendit. Acceperat nobile genus: amplas possessiones, hæreditatemque multam erar accepturus; sed ut fidelem se probaret ei qui dederat, pro ejus amore omnia detrimentum faciens & arbitratus ut stercore, ut Christum lærificeret, univèrsa contempfit. Grandem ergo sæculi fastum tanto generosiore, quanto humilioris cervicis incunctanter excutiens, ut eam subderet Christi jugo: Sancti Dominici habitum suscipit, ut prædictoris veritas probaretur. Quod mater secundum sæculum mundi hujus adhuc sapiens, modis omnibus volens avertere, nil non molitur, nec corporis tenacitate, nec itineris labore deterrita Romam abeuntem insequitur, non eo quo Augustinum Monica, sed quo Franciscum Pater animo fertur quæsisse. Et ubi delusa sollicitudo quærentis est, fratres armantur in fratrem: contumelia & tormento interrogantes eum (nihil autem, nisi in pejus proficientes) in tantum vecordiæ tumorem excreverunt, ut ardentis suggestionis libidinis vincendum juvenis animum expectarent. Eorum ergo ubi prima nihil obtinent, vehementiora succedunt: neque enim est (dicebant apud se cogitantes non rectè) aut Davide sanctior, aut Salomone sapientior, aut Sampson fortior, ut non sit per mulierum oblectamenta vincendus. Mittunt mulierem plenam illecebris, specie venustam, libidine ardentem, ornata meretricio præparatam ad decipiendam animam. Quæ ad juvenem ingressa, blanditur ut decipiat, mulcet ut levitat, allicit ut frangat, suadet ut persuadeat: sed non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Sic erat ingenium & pulchritudinis omnimodæ amator animus, sine libidinis immoderatione atque sordibus, ut in signum futura in eo sapientiæ, perniciosi cupiditatibus divino jure præteriberet, ne veram sapientiam defereret falsis voluptatibus illectus. Sciens ergo paratus esse, ut resisteret: nesciens elatus esse, quò vinceret: cujus potentiæ, spiritualibus armis præmunitus, confidebat; ejus adjutorio, quidquid lascivens in eum mulier excogitabat, insuperabilis fortiter resistendo vincebat. In tribulatione invocavit Dominum, & ad Deum suum clamavit. Titione arcepto meretricem abegit, crucisque figuram titione depingens, ad eam in genua provolutus cor mundum in secreari, & inviolabili petijt castitatis munere donari. Exandivit autem Deus de templo sancto suam vocem ejus, & clamor ejus in conspectu ejus introivit in aures ejus. Ecce enim leniter obdormiscens lumbos præcingere, & carnis luxuriam per continentiam coartare visi sunt duo angeli miro splendore fulgentes. Sic fratres spe suscepta frustrati, unde victores confidebant existere, inde

*Suscipit habitum S. Dominici.*

*Fratres indignantur.*

*Psal. 17. meretricem abiegit.*